

MATHESES DIVISIO. §

diuiditur. Nam in prioribus quatuor libris agitur de planis absolute, ita ut eorum equalitas, & inæqualitas inuestigetur. In quinto verò libro de rationalibus magnitudinum proportionibus in genere disputatur. In sexto denique libro proportionibus figurarum planarum discutiuntur. Posterior verò pars, nempe Stereometrica, in tres quoque partes subdiuiditur. In quarum prima, videlicet libris tribus, septimo, octauo, & nono, agitur de numerorum proprietatibus, passionibusque ad linearum (& aliarum magnitudinum:) symmetrarum seu commensurabilium, & asymmetrarum, seu incommensurabilium tractationem necessarijs. In secunda, nimirum libro decimo, satis prolixo, de lineis commensurabilibus, & incommensurabilibus, sine quarum notitia, corpora illa quinque solida, regularia seu platonica perfectè tractari nequeunt, differitur. In tertia denique nempe libris sex postremis (qui & ipsi subdiuidi poterunt) de solidis illis accuratissime disputatur, eorumque proprietates inuestigantur. De punctis autem, & lineis in hoc opere nulla expressè exat cõtemplatio: quoniam Geometria potissimum circa figuras, quibus plana, & solida duntaxat (non puncta, & lineæ:) afficiuntur, versatur.

Demonstratio omnis Mathematicorum ab antiquis scriptoribus diuiditur in Problema,